

www.e-rara.ch

**Divi Ioannis Chrysostomi, Archiepiscopi Constantinopolitani, in totum
Geneseōs librum Homiliae sexagintasex**

Johannes

Basileae, anno 1523

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: UBH FJ V 17

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-401>

Caput XL[-quadragesimumprimum]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

terficere, & effecit primum quidem, quod iuxta cōsiliū Rubim in cisternam immittē retur, & postea iterum iuxta cōsiliū Iuda negotiatoribus uendere, ut somniorū euentus complerentur: & fidem facerēt iusto, quod non frustra, neq; temere hæc præsignata essent. Ita & nūc superna manus erat, quæ barbarum detinuit, & nō permisit ad cædem iusti festinare. Quid enim prohibuisset aliud eum hoc facere, cum intelligeret illum attentasse uiolare suum lectum? Verum omnipotens deus tantam fecit illi exhiberi clementiam, ut iniectus in carcerem, etiam illic suam declararet uirtutem, & sic ad principatum regni ueniret. Succensuit enim (inquit) dominus eius, & misit eum in custodiam, ubi uincti regis detinebantur. Nam siquidem non credebat, nō oportebat eum in carcerē conijcere: si credebat uerum esse, quod Aegyptia dixerat, tunc neq; carcere dignus erat, sed plecti capite, & extremam pœnam pati debebat. Verum quando suum auxilium dextra superna ostendit, omnia leuia & facilia fiunt, & feroces mansuescunt. Tunc autem superna gratia ubertim nobis assistit, quando multam & nos declarauerimus uirtutem. Nam hic, quoniam multum certauit, propterea etiam magnas retributiones cōsequit. Et post tantam fortitudinem abducitur in carcerem, & silenter fert omnia. Scitis enim, quod ij qui non sunt sibi conscij maliciæ, quando sicut rei condemnantur, quanta utantur sæpe fiducia, & dicendi libertate superbientes & inflati, & insurgentes contra eos qui infontibus crimen intentant. Verum ille non sic, sed silet, & omnia mansuete fert, & sustinet cū magna patientia uoluntatem domini. Vide enim, quomodo & in carcere principatum omnē accipiat à custode carceris. Erat enim dominus cū Ioseph (inquit) & defundebat et suam misericordiam. Quid est, Defundebat suam misericordiam? Ad miserationem inflectebat, & mire erga illum beneuolentiā suam declarari curabat. Dedit enim ei gratiā coram illis. Vere nihil beatius eo, qui dei gratiam habet. Dedit enim (inquit) præfectus carceris, carcerem in manus Ioseph. Vide, quomodo custos carceris aliquid honoris ei defert, & autoritatē ei permittit, & omnes qui in carcere erāt, esse iubet sub potestate ei. Et nesciebat præfectus carceris aliquid. Omnia enim erant in manu Ioseph, eo quod dominus erat cum eo. Dominus prospere agebat in manibus eius. Vide quomodo comitabatur eum perpetuo superna gratia, & omnia quæ faciebat, erāt plena gratia. Hoc igitur & nos studeamus, ut nobiscum semper habeamus dominum, ut quæ à nobis sūt, ab illo prosperentur. Nam qui illius gratiam assequitur, & in medijs uinculis existens, ridebit, ac nihili putabit omnia, domino omnium faciente & disponente cuncta, ut prospere succedant omnia. Quomodo autem poterimus nobiscum habere dominum, ita ut ab ipso secundentur omnia: si sobrij nosmetipsos attenderimus, & uigilantes fuerimus, & imitabimur iuuenis illius continentiam, aliasq; uirtutes, ac fortem spiritum, uidebimusq; quod sic oporteat omnia diligēter fieri, ne forte à domino condemnemur. Neq; enim possibile est, ut occultetur aliquid ab oculo illo, qui dormire nequit. Verum necesse omnino est, ut is qui peccat, supplicij obnoxius fiat. Itaque ne maioris faciamus timorem hominum, quàm indignationem dei, sed memores simus semper uerborum Ioseph, dicētis: Quomodo faciam uerbum hoc malum, & peccabo coram domino? Igitur quando nos cogitatio perturbat, hoc in mente uersemus uerbum, & statim effugiet omnis illicita concupiscentia. Itaq; siue quis corporū concupiscentia capiatur, siue alia quadam, statim hoc uerbum cogitet: quod ille est qui nos condemnet, à quo non est possibile nos occultari, etiam quæ in mente nostra uersentur, & omnino effugiemus etiam diabolicas machinationes, magnoiq; adiutorio superno iuuabimur, gratia & misericordia domini nostri IESU CHRISTI, cui cum patre & sancto spiritu sit gloria, imperiū & honor nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.



CAPVT XL

Actum est autem post uerba hæc, peccauit præfectus pocillatorum regis Aegypti, & præfectus panificum domino suo regi Aegypti. Et iratus est Pharao duobus eunuchis suis, præfecto pocillatorum

pocillatorū, & præfecto panificū, & posuit eos in custodiā in carcerē, in locum ipsum, in quo iacebat Ioseph. Et cōmendauit præfectus carceris Iosepho eos, & apposuit ei illos. Fuerant autē dies in carcere, & uiderunt ambo somniū una nocte. Visio autē somni præfecti pocillatorū, & præfecti panificū, qui fuere regis Aegypti, quū essent in carcere, erat ista. Intrauit ad eos Ioseph mane, & uisit eos, erantq; turbati, & interrogauit eunuchos Pharaonis, qui erāt secum in carcere apud dominū ipsum, dicens: Quid, quod facies uestre hodie tristes? Illi autē dixerunt ei: Insomniū uidimus, & nō est qui coniectet illud. Dixit autē eis Ioseph: Nōne per deū declaratio illorum est? Narrate igitur mihi. Et narrauit præfectus pocillatorum somnium suum Ioseph, & dixit: In somno meo erat uitis coram me, & in uite tres propagines, & ipsa uirescens proferebat germina, maturos racemos uuae, & poculū Pharaonis in manu mea: & accepi botrum, & expressi eum in poculum Pharaonis, & dedi poculum in manus Pharaonis. Et dixit ei Ioseph: Hæc est diiudicatio eius: Tres propagines, tres dies sunt: adhuc tres dies, & memor erit Pharao præfecturæ tuæ, & restituet te in præfecturā pincernatus tui, & dabis poculū Pharaoni in manū suam & iuxta principatum tuū pristinū, ut eras uinū infundens. Sed memor esto mei per te metipsum, quando tibi bene erit, & facies mihi misericordiam, & memor eris mei apud Pharaonem, & educes me ex carcere hoc: quia furtiue abductus sum de terra Hebræorum: & hic nihil feci, sed immiserunt me in hunc lacum. Et uidit princeps panificum, quod recte diiudicasset, & dixit ad Ioseph: Et ego uidi insomnium. Et putabam tria canistra farinæ ferre super caput meū, in summo autem canistro erat opus panificis ex omnibus generibus eorū, quibus rex uescitur, & uolucres comederūt ea de canistro quod super caput meū. Respondit autē Ioseph, & dixit ei: Hæc est diiudicatio eius: Tria canistra tres dies sunt, adhuc in tribus diebus auferet Pharao caput tuum à te, & suspendet te super lignum, & comedent uolucres cœli carnes à te. Factum est autē die tertia die nataliciorum, erat Pharao, & faciebat conuiuium omnibus pueris suis, & recordatus est præfecturæ pocillatorum, & præfecturæ panificū in medio puerorum suorum: & restituit præfectum pocillatorum in præfecturam suam, & dedit poculum in manum Pharaonis: principem autem panificū suspendit in ligno, sicut coniectarat eis Ioseph. Non recordatus est autem præfectus pocillatorum Ioseph, sed oblitus est eius.

CAPVT QVADRAGESIMVMPRIMVM.



Factum est autem post duos annos dierum, Pharao uidit somnium, putabat se stare iuxta fluuium, & ecce quasi ex fluuio ascendebāt septem boues pulchræ specie, & electis carnibus, & pascebantur in graminofo: aliæ autem boues septem ascendebāt post illas ex fluuio, turpes specie, & tenuibus carnibus, & pascebantur iuxta boues supra labium fluminis. Et comederunt septem boues turpes ac tenues carnibus, septem boues pulchras specie, & electas carnibus. Et ecce disparuerunt, eo quod ingressæ sunt in uentres illorum. Excitatus

autem est Pharaon, & obdormiuit secundo: & ecce septem spicæ ascēdebant in culmo uno electæ & pulchræ: aliæ autem septem spicæ tenues, & uento corruptibiles pullulabāt ppe eas. Et absorbebant septē spicæ tenues & uento corruptibiles, electas illas septem spicas & plenas. Euigilauit autem Pharaon, & erat insomnium. Factum est autem mane, & turbata est anima eius. Et misit, ac uocauit omnes diuinatores Aegypti, & omnes sapiētes eius, & enarrauit eis Pharaon somnium suum: & non erat qui annunciaret Pharaoni illud. Et loquutus est præfectus pincernarum ad Pharaonem, dicens: Peccatum meum hodie recordor. Pharaon iratus fuit pueris suis, & posuit nos in custodiam in domo præfecti coquorum & me & præfectum panificum: & uidimus uterq; insomnium in nocte una & ego & ille, uterq; suum uidimus somnium. Erat autem ibi nobiscum adulescens puer Hebræus præfecti coquorum: & annunciauimus ei illud, & diiudicauit nobis. Factum est autē: sicut ille nobis diiudicauit, ita & euenit, ut ego restituerer in præfecturam, ille autem suspenderetur. Pharaon autem misit & uocauit Ioseph, & eduxerunt eum ex munitione, & raserūt eum, & mutauerūt uestem eius: & uenit ad Pharaonem. Dixit autem Pharaon ad Ioseph: Insomnium uidi, & non est qui diiudicet illud: ego autem audiui dicentes de te, diiudicare te somnia quæ audiueris. Respondit autem Ioseph Pharaoni, ac dixit: Absq; deo non respondebitur, quod salutare Pharaoni. Dixit autem Pharaon ad Ioseph, inquiens: In somno meo putabam apud labium fluminis stare, & quasi ex fluuio ascendere septem boues pulchra specie, & electis carnibus, & pascebantur in graminoso. Et ecce septem boues aliæ ascendebant post eas ex flumine, malæ & turpes specie ualde, & tenues carnibus, quales non uidi in tota Aegypto turpiores: & deuorarunt septem boues turpes & macræ, septem illas boues pulchras primas & electas: & ingressæ sunt in uentres earum, & non apparuerunt. Factum est autem, quum intrauerunt in uentres earum, & facies earum turpes, sicut & principio. Euigilans autem obdormiui, & uidi iterum in somno meo. Et ecce quasi septem aristæ ascendebant in culmo uno plenæ & pulchræ: aliæ autem septem spicæ tenues & uento corruptibiles pullulabant prope illas: & absorpserūt septem aristæ tenues & uento corruptibiles, septem spicas pulchras & plenas. Dixi itaq; diuinatores, & non fuit qui mihi illud annunciaret. Et dixit Ioseph Pharaoni: Somnium Pharaonis unum est: quæ deus faciet, monstrauit Pharaoni. Septem boues pulchræ, septem anni sunt: & septem spicæ pulchræ, septem anni sunt. Somnium Pharaonis unū est: & septem boues macræ ascendentes post illas, septem anni sunt: & septem spicæ tenues & uento corruptibiles, septem anni sunt, & erunt septem anni famis. At uerbum hoc, quod dixit Pharaoni: Omnia quæ deus faciet, monstrauit Pharaoni. Ecce septem anni uenient in abundantia magna, in omni terra Aegypti: uenient autem septem anni famis post illos, & obliuiscetur satiētis futuræ in tota Aegypto: & consumet fames terram, & non agnossetur abundantia in terra præ fame futura posthæc: ualde enim grandis erit. Quod autē somnium secundo repetitum Pharaoni, uerum erit uerbum quod à deo: & ac celerabit deus, ut faciat illud. Nunc igitur consydera uirum prudentem ac intelligentem,

telligentem, & constitue eum super Aegyptum: faciatq; Pharaon, & constituat praesides super terram. Et accipiant quintam prouentuum partem Aegypti septem annorum abundantiae, & colligant omnia edulia septem annorum bonorum illorum qui uenturi sunt, & congregent frumentum sub manum Pharaonis, & edulia in ciuitatibus constituentur, & erunt edulia custodita in terra in septem annos famis, qui erunt in Aegypto, & non exeret terra in fame. Placuit autem uerbum coram Pharaone, & coram omnibus pueris eius. Et dixit Pharaon omnibus pueris suis: Non inueniemus uirum talem, qui habet spiritum dei in se. Dixit autem Pharaon ad Ioseph: Quoniam ostendit tibi deus omnia haec, non est uir prudentior & intelligentior quam tu: tu autem eris in domo mea, & in ore tuo obediet omnis populus meus, ueruntamen ego sellam tuam transcendam. Dixit autem Pharaon ad Ioseph: Ecce constituo te hodie super omnem terram Aegypti. Et extrahens Pharaon anulum de manu sua, circumposuit eum super manum Ioseph, & induit eum stola byssina, & circumposuit torquem aureum circa collum eius, & ascendere eum fecit super currum secundum se. Et promulgauit praeco ante eum, & constituit eum super totam terram Aegypti. Dixit autem Pharaon ad Ioseph: Ego Pharaon: absque te nemo manum extollet in terra Aegypti. Et uocauit Pharaon nomen Ioseph Psothomphanech, & dedit ei Azeneth filiam Petephrae sacerdotis Heliopoleos uxorem. Ioseph autem erat annorum triginta, quando stetit coram Pharaone rege Aegypti.

HOMILIA LXII.



Reliquias eorum quae heri dicta sunt, uolumus hodie reddere charitati uestrae, & iterum attingere historiam Iosephi. Scitis enim, quod hesternus sermo profusus fuerit, & non potuimus ulterius progredi: sed sermoni finem imposuimus, quando propter Aegyptiae calumniam ab archimagiro in carcerem est coniectus. Ideo hodie operae precium fuerit, docere uestram charitatem, quae in carcere ei acciderint. Nam postquam in carcerem est iniectus, & traditus praefecto carceris, etiam illic tantam dei gratiam allequutus est, ut totius carceris principatus a praefecto carceris sibi concederetur. Et nesciebat aliquid praefectus carceris propter Ioseph. Vidisti, quomodo in ipsis afflictionibus existens, aduersitatem ne senserit quidem. Sed omnipotens sapientia dei, omnia aspera uertebat in iucunda. Et sicut, si quis margaritam in luto conculcet, eius demonstrat pulchritudinem: sic & uirtus quocumque eam proieceris, suam declarat uirtutem, etiam in seruitute, etiam in carcere, etiam in afflictione, etiam in prosperitate. Quia & in carcere illi conciliauit praefectum carceris, & super omnes qui ibi erant potestatem accepit. Videamus & hic uirtutem sibi concessae gratiae manifestam.

Factum est enim (inquit) post uerba haec: Qualia? quae narrauit post factam calumniam, postquam condemnatus est in carcerem: & non hoc solum, sed & postquam significatum est nobis, quod dominus cum eo fuerit, & quod praefectus carceris omnia quae ibi erant commiserit, ut per eum administrarentur. Factum est (inquit) post uerba haec, postquam iniectus est in carcerem. Quum peccassent praefectus pincernarum & praefectus panificum, condemnati sunt a rege, ut in carcerem mitterentur, quos praefectus carceris Iosepho commendauit. Neque enim ut uincto usus est illo, sed ut curarum particeps: immo ut eo, qui ibi detentorum curas bene consolari queat. Et assistit eis, inquit. Quid est, assistit eis? hoc est, consolatus est eorum mentes, erexit eorum animos, & non permisit absorberi praeter tristitia. Erant autem diebus multis in carcere, & uiderunt uterque in somnium in nocte una, praefectus pincernarum & praefectus panificum. Sed beatus ille, cui curae erat, quomodo consolarentur illi, ut uidit eos ob uisionem in somniorum turbati, & mente com-